

TRIBUNAL APOSTOLICUM ROTAE ROMANAЕ - NEAPOLITANA -  
Nullitatis matrimonii - Sentenza definitiva - 22 luglio 1985 - Pompei, Ponente (\*)

**Matrimonio - Consenso - Error in qualitate redundans in errorem personae - Qualitas directe et principaliter intenta - Qualità individuanti - Errore semplice nella qualità - Irrellevanza.**

*La qualità della persona che, come regola generale, deve essere considerata come qualcosa di accidentale, può tuttavia acquistare un così grande peso nell'ordine etico e sociale o un tale valore nell'ordine spirituale e religioso che, secondo una generale considerazione — per lo meno in certi luoghi e tempi — arrivi a toccare e penetrare la stessa persona ed a determinarla nella sua identità individuale.*

*Tuttavia, a meno che la qualità sia voluta direttamente e principalmente, oppure che su di essa esista un errore doloso, sembra che il consenso*

---

(\*) Tra gli studi più recenti riguardanti l'evoluzione dottrinale e giurisprudenziale su questa materia fino all'attuale configurazione del c. 1097, cfr. P.A. BONNET, *Creatività giurisprudenziale ed errore personale sulle qualità individuali (un tentativo di più adeguata comprensione e tutela del sentimento religioso matrimoniale nel diritto ecclesiastico)*, in *Il Diritto Ecclesiastico*, 1987/II, p. 90-109; M. CALVO, *Error y dolo en el consentimiento matrimonial según el nuevo Código de Derecho Canónico*, in *Curso de Derecho Matrimonial y Procesal canónico*, Salamanca, 1984, p. 138-157; A. DI FELICE, *La recente giurisprudenza rotale circa l'« error qualitatis redundans in errorem personae »*, in *Studia in honorem A. card. Sabbatani*, Città del Vaticano, 1984, p. 39-50; O. FUMAGALLI CARULLI, *Intelletto e volontà nel consenso matrimoniale in diritto canonico*, Milano, 1981, p. 238-251; Id., *Persona e società nel matrimonio canonico con particolare riferimento all'« error facti »*, in *Il Diritto Ecclesiastico*, 1981/II, p. 164-174; V. GUITARTE, *Error de calidad y matrimonio en la vigente ley canónica*, in *Ius Canonicum*, 53 (1987), p. 199-221; A. MOSTAZA, *Pervivencia dell'« error redundans » en el esquema del nuevo Código de derecho canónico*, in *Curso de Derecho matrimonial y procesal canónico*, V, Salamanca, 1982, p. 139-174; Id., *El error sobre la persona y sus cualidades en el can.*

*matrimoniale non soffra nessun vizio irritante derivato dal semplice errore su questa stessa pur grave qualità.*

Nonostante possa sembrare un'interpretazione che in certo modo forzi il senso del c. 1097, la diretta e principale intentio sulla qualità, su cui ricade l'errore dei nubenti, può essere intesa in modo generale ed implicito, senza la necessità di una volontà positiva. Essendo l'intentio in realtà una direzione della volontà, significa qualcosa di formalmente soggettivo, ma non richiede un atto positivo ed esplicito.

(*Omissis*). — FACTI SPECIES. — 1. Brevem post consuetudinem sponsaliciam, die 9 novembris 1977 Franciscus et Dolores ambo cum essent sex et triginta annorum, canonicum celebraverunt matrimonium, Neapoli in paroeciali ecclesia. Proles ex conubio progenita non est, immo paucos post menses coniugum convictus fractus fuit.

Separationis sane causa existit detectum mulieris gravissimum mendacium de sua conditione familiari et sociali: quod est quidem fundamentum et motivum huius de matrimonii nullitate processus, juxta judiciale viri assumptionem. Ipse namque, oblato libello diei 9 martii 1979 coram ecclesiastico regionali Tribunali Neapolitano, contendit suum consensum irritum fuisse dupli ex capite, nempe ob errorem circa mulierem vel saltem ob errorem qualitatis redundantem in personam, necnon ob conditionem ab eodem adpositam, saltem mente retentam, circa sponsae qualitates revera non verificatas. Quod nempe mulier ante nuptias asseruerat «di se stessa, della sua vita, dei suoi genitori, della sua famiglia, del suo stato sociale, del suo patrimonio, della sua attività lavorativa», celebrato matrimonio falsum omnimo apparuit, si

---

1097 del nuevo Código, in *Estudios canónicos en homenaje al Professor D. Lamberto de Echeverría*, Salamanca, 1988, p. 307-322; U. NAVARRETE, *Canon 1098 de errore doloso estne iuris naturalis an iuris positivi Ecclesiae?*, in *Periodica*, 76 (1987), p. 171 ss.; F. VERA, *El error sobre la persona en el matrimonio según el nuevo CIC*, in *Revista española de Derecho Canónico*, 43 (1986), p. 359-409.

La sentenza si presenta in linea con un'ampia corrente giurisprudenziale anteriore al Codice: cfr. c. Canals de 21 de giugno 1970, in SRRD., vol. 62, p. 371, n. 2; c. Ewers, 10 febbraio 1973, in SRRD., vol. 65, p. 88, n. 3; c. Ferraro, 18 luglio 1972, in SRRD., vol. 64, p. 473, n. 3; c. Di Felice, 26 marzo 1977, in SRRD., vol. 69, pp. 150-151, nn. 3-5; c. Di Felice, 14 gennaio 1978, in SRRD., vol. 70, p. 17, n. 6; c. Pompedda, 28 luglio 1980, in SRRD., vol. 72, p. 550, n. 2; c. Agustoni, 10 luglio 1984, in *Il Diritto Ecclesiastico*, 1985/II, p. 452, n. 13.

actorem audiamus. Exinde deceptio, exinde separatio, exinde haec nullitatis matrimonii causa.

2. Conventa contumace, per ampla instructio peracta est atque, die 28 julii 1980, prodiit primi gradus decisio quae declaravit constare de matrimonii huius nullitate ob errorem qualitatis redundantem in errorem personae. Dein ex vinculi Defensoris appellazione causa delata fuit ad Vicariatus Urbis Tribunal eaque, decreto diei 17 septembbris 1981, ad ordinarium secundi gradus examen remissa est. Insuper suppletiva inquisitio peragi debuit, muliere conventa e contumacia recente, ac denique tandem die 22 junii 1983 sententia Tribunalis regionalis Latii edixit nullo ex adductis capitibus constare de matrimonii nullitate, in casu.

Quam contra pars actrix ad Romanae Rotae hoc Tribunal appellavit, quidem quoad caput difformibus sententiis definitum, nempe errorem qualitatis redundantem in errorem personae. Sub quo hodie causa tertio in judicii gradu proponitur seu dirimenda lis exstat per responsionem ad dubium, juxta suetam formulam concordatum: « An constet de matrimonii nullitate, in casu ».

IN JURE. — 3. Error, qui est falsa cognitio alicuius obiecti vel facti, inspici potest utpote *vitium voluntatis* in negotiis juridicis (cfr. P. BONFANTE, *Istituzioni di diritto romano*, Torino, 1951, § 30, p. 90 s.), isque esse potest vel *essentialis aut substantialis* vel *non essentialis*: iste versatur circa obiecti *qualitates* quae haud subvertunt ipsius momentum oeconomicum-sociale, aut circa *nomen* obiecti vel personae, aut circa *motiva* actus.

Eiusmodi erroris distinctio videtur accipi vel in ordine canonico, quippe qui respondet rationibus generalibus seu principiis fundamentibus humanae sapientiae. Reapse jam can. 104 Codicis abrogati mani-

---

Di fatto, sebbene il ponente ammetta che nel nuovo Codice l'errore sulla qualità vizi il consenso solamente quando *directa et principaliter intendatur* — posto che il legislatore esige una prevalenza della valutazione soggettiva della qualità da parte del nubente (n. 11-13) —, sono numerosi i riferimenti al valore ed al peso oggettivo che la qualità assume per la società in cui costui vive (nn. 10, 13); sono tutte ragioni che gli permettono di proporre una nuova interpretazione del c. 1097 che, nonostante le apparenze, non forzerebbe il senso della norma.

*Joan Carreras*

festo loquitur de errore « circa id quod constituit substantiam actus », eumque distinguit a ceteris; item in novi Codicis canone 126.

4. Jamvero error *essentialis*, qui actum reddit ipso jure nullum, tunc verificatur cum versatur *vel* circa negotium juridicum in sua totalitate, *vel* circa aliquod elementum constitutivum ipsius actus.

Prior hypothesis facilius agnoscitur. Error etenim eiusmodi spectat ad ipsam *identitatem* negotii juridici et verificari potest, verbi gratia, ut in re matrimoniali sistamus, quando contrahens alteruter vel uterque ducitur illa ignorantia, utpote erroris causa, quae minimam quoque scientiam in nubentibus requisitam excludit (cfr. can. 1096 § 1).

Difficilius autem definitur altera hypothesis, quae nempe spectat errores circa *elementa constitutiva* ipsius actus. Ad rem (cfr. P. BONFANTE, *o. et l.c.*) distinguuntur: error *circa naturam seu causam* negotii juridici, error *circa personam*, et error *circa obiectum*.

Error circa indolem et naturam negotii, pariterque error circa obiectum (sive *in corpore* seu circa identitatem absolutam negotii, sive *in substantia* seu circa proprietatem quae obiecti essentiam constituit) eatenus videntur *essentiales* ideoque affidentes ipso jure valorem actus, quatenus facilius reducuntur ad falsam cognitionem circa obiecti seu negotii identitatem.

Neque, ut adhuc de re matrimoniali dicamus, difficultas facere potest can. 1099, qui sane statuit de errore circa proprietatem *essentialem* matrimonii: distingui etenim debet *essentialis proprietas ab ipsa essentia*. Ista, sub adspectu doctrinali et definiente, praebetur a Legislatore canonico in can. 1055, sub adspectu vero scientiae minimae requisiatae, prouti modo dicebamus, in can. 1096 § 1.

5. Uti modo item adnotavimus, error circa *elementa constitutiva* ipsius actus agnoscitur in errore *circa personam*, isque pariter *essentialis* habetur cum versetur circa *identitatem* personae.

Verum can. 1097 § 1 definite edicit: « Error in persona invalidum reddit matrimonium ». Neque aliter in veteri Codice (cfr. can. 1083 § 1).

E contra *non essentialis* habetur error *circa qualitates* obiecti, qui tamen *ex lege agnosci* potest uti actum irritans ubi exstant gravia motiva aequitatis ad auferenda actus ita positi consecaria.

Quod aliquomodo et in lege canonica factum est, uti videre fas est in can. 1097 § 2 (pariter ac in can. 1083 § 2 veteris Codicis).

6. Verum quidem loquendi ratio hucusque adhibita videri potest improbabilis commixtio elementorum juris obligatorii idest rei contractualis cum notionibus propriis sacri connubii idest sacramenti matri-

monii. Doctrina etenim aliquando exprobravit usum locutionum sive contractus sive negotii juridici circa matrimonium, eo quod nec pri-  
mum nec alterum aptari possunt notioni canonicae de matrimonio.

Ita minus placet verbum *contractus* quia iste generatim obiectum patrimoniale habet; item alii adnotant in contractu extare interesse di-  
versum pro singulis contrahentibus, dum in matrimonio coniuges ad  
idem interesse tendunt, nempe ad efformandam societatem coniugalem.

Neque alterum verbum nempe *negotium juridicum* omnibus proba-  
tur, potissimum quia eiusmodi notio fundamentum habet in libertate  
voluntatis singulae personae, nempe in praeminentia rationis juridicae  
subiectivae; quin immo hodie ipsa notio negotii juridici crisim partitur.

Quapropter multi malunt de matrimonio loqui tamquam de *actu  
juridico*: in quo certo certius adest libertas partium, sed istae posito ac-  
tu nihil facere possunt neque debent ad amovendos effectus proprios  
qui eidem connectuntur directe ab ipso ordine juridico (cfr. G. CAPUTO,  
*Diritto canonico moderno*, t. II, Padova, 1984, p. 142 s.).

Attamen (cfr. M.F. POMPEDDA, *Annotazioni sul diritto matrimo-  
niale nel nuovo Codice canonico*, in AA.VV., *Il matrimonio nel nuovo  
Codice di Diritto Canonico*, Padova, 1984, p. 19 s.) indeoles *contractualis*  
in matrimonio agnoscitur a doctrina canonica, quatenus illus exstat ne-  
gotium juridicum tantummodo ex partium voluntate ortum atque per-  
fectum per ipsarum unice voluntatem.

Dicendum nempe est principia generaliora, quod attinet ad vitia  
voluntatis in contractibus, accipienda esse etiam de matrimonio quatenus  
sive in isto sive in illis inspicitur actus humanus, constans intellec-  
tu et voluntate, generativus effectus seu contractus seu negotii juridici  
seu connubii: nemo etenim infitias ibit plenam inter voluntatem con-  
tractualem et foedus matrimoniale analogiam.

7. Ex hucusque dictis quapropter tenendum videtur quoad matri-  
monium valere summa juris principia quae scientia juridica inde ab in-  
quisitione et doctrina Romanorum expolivit de influxu erroris in vo-  
luntatem contractualem et in genere in negotia juridica perficienda.

Exinde a vero abesse non videatur si, inquirentes de finibus *juris  
naturalis* circa errorem utpote vitium consensus matrimonialis, asserere  
audemus tantummodo errorem essentiale seu substantiale inducere  
— jure quidem naturali — nullitatem matrimonii hoc ex capite; ideo-  
que inquirendum semper esse, hac de re, circa *essentiale seu substantiale*  
negotii coniugalis seu, si mavis, matrimonialis foederis.

Quod confirmari videtur ex ipsa lege canonica, declarante, modo  
ac ratione absolutis, tunc actum (juridicum sane) irritari ex errore cum

iste « versetur circa id quod eius substantiam constituit » (can. 126; cfr. can. 104 CIC/1917): id sane ex jure naturali descendit. Alias actus juridicus positus ex errore valet, uti, verbi gratia, si ipse cadit super qualitate obiecti in genere.

8. Attamen, quod attinet ad consensum matrimonialem, res magis attente atque profunde inquirendae exstant, etsi non posthabitis neque abiectis hucusque in genere de quovis negotio vel actu juridico enucleatis. Idque clarius fiet, si inter se conferantur normae positae in veteri et in novo Codice juris canonici, de errore nempe irritante consensum matrimonialem.

9. Nihil imprimis videretur peculiare afferre error « in persona » seu « circa personam » secunducens matrimonium invalidum; persona etenim cum importet, juxta communem omnium sensum et interpretationem, quid physicum definite seu individuum, patet quod « Ipotesi del genere possono verificarsi in matrimoni contratti da ciechi, sordi, muti o per mezzo di un procuratore, ancora nell'assai più raro caso dell'identità d'aspetto tra due persone » (P.A. BONNET, *Introduzione al consenso matrimoniale canonico*, Milano, 1985, p. 70).

Hypothesis nempe eiusmodi complectitur unum errorem *de physica identitate* alterius nubentis: neque id difficultatem praebet in matrimoniali foedere, quod initur inter duas concretas personas quae « *sese mutuo* tradunt et accipiunt ad constituendum matrimonium » (can. 1057 § 2).

Si autem id constituit praesuppositum matrimonialis contractus, quaerere tamen quis posset num eiusmodi notio « *personae* », utpote nempe merae realitatis physicae, respondeat nostri temporis hominum conscientiae, quidem vel postquam humanae dignitatis figuram juraque Concilium Vaticanum II sollemniter confirmavit. Quin insuper quaestio gravissima inter ceteras, sive in humana consuetudine sive in fide praxique christiana, illa exstat, ad bonum coniugum et ad fines essentiales connubii magis persona in sua realitate physica an vero praedita quibsdam qualitatibus conferat.

10. Superius jam recoluimus attendendum semper esse ad essentiam seu substantiam negotii, ut valeat error substantialis vel minus haberi; error autem in substantia afferens seu complectens *ipsum obiectum* (in matrimonio, ipsum contrahentem) aliquando spectat quandam proprietatem seu *qualitatem* quae in hominum aestimatione acquirit valorem *essentiali*: cuius igitur praesentia vel absentia immutare prorsus valet, quidem in sua substantia, ipsum obiectum.

Hanc viam aggressa jam erat jurisprudentia Nostri Tribunalis, in interpretando et applicando legis canonicae praescripto de errore qualitatis *redundante* in errorem personae, juxta can. 1083 § 2, 1° CIC/1917 (cfr. inter ceteras *coram infrascripto Ponente* decisiones diei 25 novembris 1978, in una Taurinen., N.M.; diei 23 julii 1980, in una Goana et Damanen., N.M.; diei 28 julii 1980, In una Romana, N.M.).

Qualitas personae, nempe, quae in genere aliquid accidentale haberi debet, nonnumquam tamen tam grave pondus in ordine ethico et sociali atque tam magnum valorem in ordine spirituali et religioso attingere valet, juxta universalissimam, saltem in certis locis et tempore, aestiamtionem ut tangat et penetret ipsam personam eamque in sua identitate individue determinet.

11. Verum si attendamus ad novum Codicem (cfr. can. 1097), procul dubio norma fulget maiore claritate: qualitas etenim tunc tantummodo afficere potest consensum, cum ipsa directe et principaliter intendatur; adest igitur praevalentia aestimationis (et consequenter voluntatis) *subiectivae* super obiectivo valore qualitatis intentae (cfr. P.A. BONNET, *o.c.*, p. 71 s.).

Neque pariter attamen praeterire possumus eiusmodi legis praescriptum praeseferre « in pratica notevoli problemi e difficoltà soprattutto perché riesce veramente arduo conoscere e stabilire ciò che il nubente ha veramente e principalmente inteso nel contrarre, pur essendo anche certo che egli quella qualità la volle nella com parte e da essa fu spinto a celebrare tali nozze » (M.F. POMPEDDA, *Annotazioni sul diritto...* p. 58).

Id sane insuper asserere debemus, nempe novum canonem non constituere veluti interpretationem veteris legis, sed ex integro tantummodo statuisse de errore qualitatis irritantis consensum matrimoniale: quamvis, de facto, formula a Legislatore adhibita verbis ipsius utatur quibus una ex interpretationibus canonis abrogati exprimebatur.

12. Superest equidem quaestio de plena vel minus legis canonicae adaequatione summis postulatis atque exigentiis civilitatis, sensus aethici universalis, dignitatis humanae necnon indolis sacrae immo sacramenti quod est matrimonium.

Ex una parte etenim consulitur autonomiae voluntatis contrahentium, quippe quia intentio directa et princeps in determinatam qualitatem efficere potest ut error de eadem inducat consensus ideoque matrimonii nullitatem (can. 1098 § 2); ex altera parte, error sub-

stantialis qualis habetur in errore « *in persona* » (can. 1097 § 1) pariter constituere valet invalidum connubium, idque ipso jure seu ex legge naturali. Insuper opportunius Legislator tutandum curavit contrahentem deceptum errore doloso, quidem intra ambitum definitum a can. 1098 novi Codicis.

Attamen non undequaque provisum esse videtur hypothesesibus de errore aut dolo non causato aut non spectante qualitatem directe et principaliter intentam, nempe errori in qualitate quae ex sua natura aut ex communi hominum nostrae civilitatis aestimatione gravissimum quid constituit sive in generalibus hominum inter se relationibus sive potissimum in illa peculiari relatione atque individua vitae consuetudine quod est matrimonium. Id eo vel magis animadverendum videtur, propterea quia de connubio, utpote indissolubili (can. 1056 et can. 1141), remedium legis vigere neque nempe actio rescisoria pro ceteris actibus juridicis a Legislatore canonico expresse praevisa (cfr. can. 126).

13. Id propterea factum esse censemus, quia, fortasse ex nimia confusione accepta inter matrimonium et contractum vel negotium juridicum quocumque, *substantiale* obiectum ideoque substantialis *error* ad identitatem et ideo ad intentionem subiecti refertur utpote ad unam *physicam* realitatem nubentium: *persona* nempe significacionem strictissimam accipit cuiusdam entis quod est animal rationale, utique sexu distinctum, praecisione facta a qualibet qualitate morali, intellectiva, sociali, religiosa, politica eiusdem.

Fieri potest jamvero quod quis contrahat cum persona, physice determinata, quam tamen errore ornatam quibusdam qualitatibus censuit; adsunt vero qualitates in homine, sive in mare sive in foemina, quae ex sua natura fundamentum constituunt, atque ita ex communi sensu aestimantur, cuiuslibet ordinatae relationis, in specie illius consuetudinis peculiaris quae in matrimonio adesse debet. Ipse Legislator, in canone nuper citato da errore doloso, agnovit adesse qualitates « quae suapte natura consortium vitae coniugalnis graviter perturbare » possunt.

Attamen, nisi illa vel illae qualitates directe et principaliter intendantur, aut nisi de iisdem error dolosus adfuerit, ex mero errore circa easdem gravissimas qualitates consensus matrimonialis nullum vitium irritans pati videtur.

14. Exinde graviter dubitandum est vetus an novus canon magis respondeat ipsi matrimonii naturae; utrum scilicet summa princi-

pia rationis ac juris de influxu erroris in voluntatem contractualem idest in hominis actum agentis negotium juridicum recte annon accommodata fuerint connubio ineundo, quod peculiarissimum exstat negotium, et illud secumferens jura officia atque consuetudinem personalissima, nulli alii negotio propria.

Fortasse novi Codicis compilatores haud satis animadverterunt rem non tam esse de clara norma seu interpretativa danda circa errorem qualitatis quod attinet ad consensum matrimoniale, quam potius de ratione inter varias species qualitatum afficientium personam contrahentium et ipsam foederis coniugalis substantiam; de foedere loquimur haud in abstracto idest quatenus institutione, sed potius in concreto nempe utpote conventione inter determinatas personas intendentes in constituendum totius vitae *inter se* consortium.

15. Sane quidem — quamvis id violentiam in sensum canonis interpretandum aliquomodo sapiat — illa directa et principalis *intentio* in qualitatem, circa quam nubentes errant, *generali* et *implicita* ratione intelligi posset atque ideo *non positiva* voluntate. Ita quosdam apud populos, uti fori usus nos docuit, haud intelligitur ex parte viri puella nubilis idest matrimonio apta quae non sit virgo, aut quae ad generandum non sit capax; item apud quasdam familias vel in quibusdam coetibus nulla mulier in matrimonium traditur nisi cum viro certis qualitatibus sive nobilitatis sive census sive socialibus praedito. Numquid ibidem agnosci debet, si error exstet circa qualitates eadem, consensus nullus?

Res utique plerumque erit quaestio *facti*, sed potior atque *doctrinalis* quaestio erit de mera significatione *subiectiva* an potius de ratione *objiectiva* agnoscenda illi intentioni directae et principali. Priorum interpretationem nimis festinanter atque fortasse nimia levitate accepisse videntur quidam Auctores de novo Codice disserentes. *Intentio* sane, cum sit voluntatis directio, quid subiectivum formaliter dicit, haud tamen requirit positivum et explicitum actum: quod confirmatur, ex argumento contrario, ex eo quod nisi adsit positivus actus exclusions (can. 1101 § 2) ad valide contrahendum matrimonium, idest ad obligationes suscipiendas sufficit *generalis* intentio contrahendi.

16. Quae hucusque sunt enucleata, eadem attentos facere debent interpretes, sive doctrinales sive judiciales, eosque prudentes in intelligenda norma novi Codicis circa errorem in consensu matrimoniali praestando.

Patet insuper ex iisdem dictis praesentem causam judicandam et definiendam esse juxta can 1083 § 2, 1° Codicis abrogati idest anni 1917.

IN FACTO. 17. Si seponere velimus asseverationes mulieris conventae, jam gravissimae difficultates apparent in admittenda actoris assumptione judiciali.

Quae ex se absurdum quid sapit. Defectus verisimilitudinis certo certius obstat quominus admittatur factum tam extra ordinarie contingentia. Actor, qui jam triginta et sex annos numerabat, qui suo labore familiam ob patris obitum aluerat, qui inter negotia suam agebat vitam, non potuit tam faciliter in errorem duci atque decipi a muliere.

18. Esto quod ista de suis divitiis immensis locua sit: sed haud splendide Neapoli vivebat, saepe saepius pecuniam ab actore ante matrimonium petuit.

Cur numquam actor dubia fovit? Cur inquisitiones haud peregit circa mulierem? Quomodo possumus admittere eundem ignorasse etiam mulierem tunc tamquam puerorum institutricem suam navare operam?

19. Quae defectus verisimilitudinis et cuiuscumque inquisitionis difficultatem nobis ingerunt, ea explicantur per mulieris conventae asseverationes.

20. Superest cito abrupta consuetudo coniugalis. Sed reapse vir forte sperabat multa accipere a muliere; insuper cohabitatio cum socru suos peperit effectus. Ita explicatur brevissima cohabitatio.

21. Sane quidem vel defectus cuiuscumque fundamenti capitis de conditione qualitatis a viro uti adposita adserta, liquido ostendit difficultatem capitis nunc solvendi nempe de errore circa qualitatem.

22. Ipse videtur nescire quid voluerit vel quid nunc velit citra quod declarativ: « In poche parole io non voglio essere marito di una donna che è tutta diversa da quella che mi si presentò prima del matrimonio ».

Ceterum actor fatetur: « io fui indotto a sposare questa ragazza anche in considerazione dei suoi vantati titoli professionali e della posizione economica familiare... Naturalmente *non era questo l'unico motivo* per cui sposai Dolores ». Igitur actor voluit praeprimis in

uxorem ducere conventam, circa quam tamen errore, haud tamen dolo, inductus est in qualitatibus eiusdem existimandis.

23. Si etenim attente perlegatur integra actoris depositio, statim apparet virum obviam habuisse mulierem, erga eandem statim propensione affectus et amoris ductum fuisse, consuetudinem nexuisse intuitu matrimonii celebrandi; insimul autem de conditione pueriae quaedam cognovisse quae ipsum incidenter *at non praevalenti voluntate* impulerunt ad nuptias libertius ineundas. Quod confirmatur sive ex nullis dubiis fotis ab actore sive a nulla inquisitione peracta circa asserta mulieris. Vir credit « a tutte le sue dichiarazioni » sed non propter easdem ad matrimonium accessit; voluntas ipsius in personam dominae conventae ducta est primo et principaliter, etsi errorem fovens de sponsae qualitatibus.

Id sane si thesis actoris admittatur. Prouti etenim superius dicebamus, sive ille sive eiusdem testes afferunt de sponsa tam incredibilia audivisse, circa familiam, divitias, locum socialem, conditionem et cetera, ut merito quivis suspectur de causa ficte conficta: nisi velimus mentis imbecillitatem tribuere eiusmodi personis absurdia quaelibet credentibus. Quod eo vel magis tenendum est, quia facilis extitisset inquisitio circa conditionem mulieris, quae Neapoli apud quendam familiam, uti omnes norunt, suam navabat opeam. At: « Mai l'attore o qualche suo congiunto — ait doct. C.C. — è venuto a chiedere informazioni sul conto di Dolores prima del matrimonio ». Quod suadet actorem unice et principaliter intendisse in personam mulieris, haud vero in eiusdem qualitates.

24. Ceterum asseverationes actoris et eiusdem testium, ex se haud verisimiles, funditus evertuntur ex depositione mulieris conventae quae de factis et concretis circumstantiis diffusius locuta est. Id autem essentiale videtur: nempe virum optime novisse ante matrimonium quaenam fuerit sponsae conditio; ideoque nullus adfuit error ex parte ipsius.

Quibus omnibus in jure et in facto perpensis, Nos infrascripti Patres Auditores de Turno, pro Tribunalis sedentes et solum Deum praec oculis habentes, Christi Nomine invocato, declaramus, promuniamus et definitive sententiamus, ad dubium propositum respondentes: « *Negative, seu non constare de matrimonii nullitate, in casu, ex capite erroris qualitatis* ».

Actorem insuper jubemus expensas omnes judicij huius solvere.

Ita pronuntiamus atque committimus locorum Ordinariis et Tribunalium administris, ad quos spectat, ut hanc Nostram definitivam

sententiam notificant omnibus, quibus de jure, ad omnes juris effectus.

Romae, in sede Apostolici Romane Rotae Tribunalis, die 22 iulii 1985.

*Marius F. Pompedda, ponens  
Antonius Stankiewicz  
Marius Giannecchini*

(*Omissis*).